

est expectanda. Successum miserandum ejusmodi expugnationis, ab inserto summario inspicere poterit beatitudo vestra. Quid vero successurum timeri debeat, cogent et iudicent, quibus inest aliqua prudentia et rerum humanarum usus. Res haec eo deducta est, ut nedum difficillimum, sed pene impossibile videatur, tam proximum incendium extinguerre aut evitare. Non distulit rabidus hostis dissimulare aliquamdiu desiderium suum invadendae Italie, ut gradatim postmodum ad occupandas alias provincias et christiana regna descendat. In ipsa fere expugnatione Mothoni, ut ex summario intueri licet, accingitur ad mittendam classem et copias suas Brundusium; quo cum trajecerit, ut minimo opere et minori spatio temporis potest efficere, quid regnum neapolitanum, quid ipsa Roma, quid reliqua Italia factura vel potius passura sit, quid denique universa christiana religio visura, liquido constat. Non jam amplius in finibus Thraciae, Greciae aut Epyri, sed in visceribus Italie et circa Beati Petri aras, proh dolor! gerendum est bellum et cum saevissimis hostibus dimicandum. Est hoc adeo perspicuum omnibus ac manifestum, ut probatione non egeat, et utinam non comprobetur experimentum! Unum certe negari non potest: esse Italiam, quod dolenter dicimus, in ipso actu ruine sue certissime constitutam. Avertit oculos suos Dominus Deus noster, et cum inimicis suis ulciscitur peccata nostra. Ne memineris, Domine, iniuritatum populi tui, ne quando dicant gentes: ubi est Deus eorum? Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam! Visum est pertinere officio nostro, hisce nostris litteris sanctitatem vestram, quae est universalis christianorum omnium protector et parens, de imminentia eorum discrimine reddere certiorem, ut semetipsam et reliquos christianos reges, principes et potentatus excite, moveat et impellat, ad eas immediatas provisiones et remedia, quae convenient et sint proportionata ac aequivalentia ad tutelam et propugnationem nominis christiani.

*Similes, mutatis mutandis, ad*

Reverendissimorum dominorum cardinalium collegium.

Serenissimum dominum regem romanorum.

Serenissimum dominum regem francorum.

Serenissimos dominos reges Hispaniae.

Serenissimum dominum regem Hungariæ.

Serenissimum dominum regem Poloniae.

Serenissimum dominum regem Angliae et Scociae 2.

Serenissimum dominum regem Portugalliae.  
Serenissimum dominum regem Neapolis.  
Illustrissimum dominum Archiducem Burgundiae.  
Dominos electores imperij.

Die 5 septembri in rogatis: 183, 3, 0.

*Copia di do brievi, uno dil jubileo, l' altro di la ristampa fata per el pontifice al capetanio di l' armada yspana.* 303

Alexander papa VI.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum carissimi in Christo filii nostri, Ferdinandus rex et Helisabeth regina Yspaniarum, catholici, pro sua pia et singulari in rempublicam christianam devotione, nostris quoque exhortationibus et requisitionibus, more catholicorum regum et principum, et qui semper ad infidelium aliorum barbarorum nationum depressionem et expugnationem pro viribus intendere conantur, classem munitissimam in subsidium dilectorum filiorum nobilium virorum Augustini Barbadico ducis et Dominii Venetiarum adversus perfidos turcas, Christi nominis acerrimos hostes, maximam classem, nec minorem terrestrem exercitum, contra diversa loca maritima ducis et Dominii praedictorum habentes et obsessa tenentes, sine ulla prorsus dilatione destinaverint, dilecto filio nobili viro Gundisalvo Fernandi de Corduba, dictæ classis yspanæ capitaneo generali designato, nos ut christifideles adversus ipsos perfidos turcas in dicta classe yspana militantes, pro quorum salute salvator noster Jesus Christus in ara crucis immolari non abnuit, eo promptius ad opus defensionis hujusmodi contra ipsos turcas, qui salvatoris nostri nomen blasphemant, templa et altaria sua dirunt, sacra polluant et legem suam fidemque orthodoxam perdere conantur, se personasque suas ad hanc sanctam et communem atque pernecessariam expeditionem celeriter accingant, ac, posthabitatis omnibus periculis, promptos et ferventes exhibeant, quo exinde eorum non solum temporali periculo, in quo universi christiani sunt constituti, occurrere, injurias Christi nostri ac christianis ipsis illatas, ut, juxta divinæ et humane legis mandata, tenentur, ulcisci, sed amplissima commoda pro suarum salute animarum cognoverint adipisci, et eis, pro tam salubri bono, paradisi portas ad aeternam gloriam cum sanctis apostolis et gloriose martyribus reserari confisi, omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et